SEPTEM

SAPIENTVM ET EORVM qui cum ijs adnumerantur, ſcite dicta, conſilia & præcepta, nimirum,

Cleobuli,	Solonis,	Chilonis,
Pittaci,	Thaletis,	Biantis,
Periandri,	Anacharſidis,	Myſonis,
	& Pherecydis.	

Soſiadis ſeptem Sapientum præcepta.



Victurus genium debet habere liber.

PARISIIS, M.D.LIII.

Apud Guil. Morelium.

NAZIONALE EMANUELE NAPOLI

IN SEPTEM SAPIENTES
epigramma, Auſonio interprete.

Septenis patriam ſapientum, nomina, voces,
Verſibus expediam: ſua quenque monoſticha
dicent.
Menſuram optimum, ait Cleobolus Lyndius,
in re.
Chilo, cui patria eſt Lacedæmō, noſce teipſum.
Periander, trepidam moderare, Corinthius, irā.
Ex Mityleneis, nimium nil, Pittacus oris.
Expectare Solon finem docet, ortus Athenis.
Plures eſſe, Bias, prauos, quem clara Priene.
Mileti fugiſſe Thales vadimonia alumnus.

SEPTEM SAPIENTVM, ET eorum qui cum iis adnumerantur, apophthegmata, conſilia & præcepta.

CLEOBVLI EVAGORAE filij, Lindij.

VIrtutis proprium eſt, vitiũ odiſſe.
Aduerte quid ſyncerum ſit.
Imperitia maiorem partem in humanis rebus occupat, verborúmque multitudo.
A ſuſpicione te abſtineto.
Audiendi ſis cupidior quàm loquendi.
Aut multarum rerum peritus, aut nullarum.
Pietatem tuere. Voto nihil eſt precioſius.
Patrẽ reuereri oportet. Parentes patiẽtia vince. Iuſta iudicato. Iniuriam oderis. Ciuitati quæ ſunt optima conſulito. Quod odio tu proſequeris, alteri ne feceris. Vicini tui quę ſunt, diligas, & perinde ſerues vt tua.
Per vim ne quid agas.
Inimicitias diſſolue. Inferiorem ne reijcias.
Aliena ne concupiſcas.
Populus is compoſitiſsimus eſt, vbi magis infamiam quàm legem metuunt ciues.
Videtur futurꝰ celeberrimus & rex & tyrãnus, ſi eorũ nemini credat qui cum eo verſantur.
Mẽdacium oderis quiſquis prudẽs es & ſapiẽs.
Falſa calumnia vitam corrumpit.

Linguam benedicam parato.
A maledicentia temperato.
Ne iis qui deridentur inſultes: alioqui iis inuiſus eris.
Corpus bene exerceas animúmque.
Ne te ipſe in diſcrimen præcipites.
Qui populo inimicus eſt, is tibi hoſtis eſto.
Fortunæ mutationes generoſe ferre diſcito.
In proſpera fortuna, ne vnquam ſuperbias: in aduerſa, ne animo deiiciaris.
Voluptati moderare. Modus optimus.
Bonis benefacito.
In amicum beneficia cōferēda ſunt, vt amicior fiat: ex inimico autem amicus faciendus. cauendum enim eſt, ne amici vituperent, inimici vero inſidientur.
Beneficij accepti memor eſto.
Optima familia videtur, ſi plures herus habeat à quibus ametur, quàm à quibus metuatur.
» Quemadmodum nolles nauigans in longa onuſtáque auro naui ſubmergi: ita nec ſedens in ampla domo precioſáque expetas curis turbari. Domus curam gere.
Quum quis domo exit, quid ſit acturus: & poſtquam rediit, quid egerit diſquirat.
Vxorem ex paribus ducas. nam ſi ex præſtantioribus acceperis, dominos, non affines comparaueris.
Nec vxori blandiaris, neque eam obiurges præſentibus extraneis. illud enim ſtoliditatem,

hoc inſaniam ſignificat
Chariſsimos liberos erudi.
Viris elocandæ ſunt ſuæ cuiuſque filiæ, virgines quidem ætate, ſed prudentia mulieres. ſunt enim ipſę quoque virgines erudiendę.
Famulum ebrium ne punias: alioqui videberis ipſe quoque ebrius eſſe.

SOLONIS EXECESTIDAE filij, Salaminij.

Virtutem laudato. Cogitato quod iuſtum eſt.
Deum colito Deum conſule.
Parentes reuerere.
Si quis parentes non aluerit, infamis eſto.
Ne iuſtiora quàm parentes dicito.
Rogatus quamobrem cõtra parricidam legem non tuliſſet, Quia, inquit, nunquam futurum expectaui. Ne iureiurando vtaris.
Aequalitas bellum non parit. Seria meditare.
Veritatem ſuſtine.
Ne ſis mendax, ſed verax.
Morum probitati magis quàm iureiurando credas.
Mentem ducem facito. Cum ſciueris, tace.
Silentio ſermones, ſilentium opportunitate obſigna.
De rebus obſcuris ex apertis coniecturam facito: quod autem noueris, ne dicito.
Rogatus à Periandro cum inter pocula taceret,

An propter verborum inopiam, an verò propter inſaniam taceret, reſpondit, Atqui nemo inſanus in conuiuio tacere poteſt.

Amicos cole. Amicis ſuccurre.

Amicos ne tibi cito compares: quos autem cõparaueris, ne cito improbes.

Voluptatem fuge. ea enim ægritudinem parit.

Ex opibus ſatietas, ex ſatietate verò contumelia generatur.

Arrogans ne eſto. Ne cui inuideto.

De mortuo ne quis male loquitor.

Impera cum primum parere didiceris. ſi enim parere didiceris, imperare ſcies.

Ciuibus non quæ iucundiſsima ſunt, ſed quæ optima, conſulito.

Ne ſedeas iudex, alioqui reo eris inimicus.

Neque qui valde iuuenis eſt imperet, neque conſilium det, etiam ſi optima ſentire videatur.

Rogatus, qua ratione in ciuitate iniuria ceſſaret, Si pariter, inquit, indignarentur qui iniuria non afficiuntur, ac qui afficiuntur.

Rogatus, quæ ciuitas optime incoleretur, Ea, inquit, in qua nõ minus qui nõ iniuriã patiuntur, q̃ qui patiũtur, iniurios accuſãt ac puniũt.

Rogatus, quomodo vrbes optime habitarẽtur, Si, inquit, magiſtratibus ciues, magiſtratus autem legibus pareant.

Ea ciuitas ad habitandum commodiſsima eſt, in qua boni viri honore: & contrà, mali ſupplicio afficiuntur.

Tyrannis bonum quidem prædium eſt,ſed exitum non habet.

Maxime celebris & rex & tyrannus futurus videtur,ſi ciuibus ex vnius principatu popularem poteſtatem conſtituat.

Qui apud tyrannos autoritate valent, ſimiles ſunt calculis ad ſupputandum:etenim illorum quemque aliquando plura, alias pauciora ſignificare:itidem & apud tyrannos horũ quẽque, aliàs magnum agere & ſplendidum,aliàs ignobilem.

In tuos manſuetus eſto.

Optima ea familia videtur,in qua opes neq; poſſidentibus iniuriã, neq; cuſtodientibus perfidiam,neq; inſumentibus pœnitudinẽ adferũt.

CHILONIS DAMAGETI filij, Lacedæmonij.

Diuinationem ne oderis.

Rogatus quidnã Iupiter ageret,Excelſa,inquit, deijcit,& deiecta extollit.

Ne cui inuideas mortalia. Ne cõcupiſcas quę fieri non poſſunt.

Senectutem honora. Seniorem cole.

Legibus pareto. Sapientia vtere.

Mores proba. Neminem ſuſpectum habeas.

Rogatus qua re differrẽt periti ab imperitis, Bona,inquit,ſpe.

Difficile arcana reticere,& ocio bene vti,& iniuria afficientem ferre poſſe.

Fratri indignanti quod Ephorus nõ fieret, cum

ipſe eſſet, inquit, Iniuriam pati equidem ſcio, tu autem minime.

Iuſtè rem tibi para. Cum iniuria affectis reconciliare.

Oderis calumnias. Turpia fuge.

Tibi ipſe caueto. Noſce teipſum.

Rogatus quid difficillimum ſit, Noſcere, inquit, ſeipſum: multa enim ſibi quenque ſui amore deceptum attribuere.

Lapideis cotibus aurum examinatur, & manifeſtum ſui præbet indicium: auro autẽ virorum bonorum & malorum mens comprobatur.

Nemini intentes minas. id enim muliebre eſt.

Liberis hominibus ne miniteris: non enim honeſtum eſt.

Lingua mentem ne præeat.

Linguam contine, ac præſertim in conuiuio.

Inter pocula ne multa loquaris: alioqui delinques. Ne ſis maledicus in propinquos: ſin minus, audies quæ tibi moleſta erunt.

Mortuo ne maledicas, ſed eum beatum prædices. In alienis curioſum oderis.

Dolenti cuidam de ſuis malis, Si, inquit, aliorũ mala perpendes, minus ægre tua feres.

Citius ad amicorum aduerſas, quàm ad proſperas fortunas proficiſcere.

Ad amicorum conuiuia tardè, ad infortunia citò accedas.

Infortunatum ne derideas. fortuna enim communis eſt.

Iracundiæ moderare. Continentiam exerce.
Iacturam potius expetas, quàm turpe lucrum. illa enim ſemel moleſta eſt, hoc perpetuó.
Tempori parce. Solitudine vtere.
Ne ſis oneroſus. Multitudini place.
Fortis ſi ſis, manſuetus eſto, vt propinqui te magis reuereantur quàm timeant.
In via ne feſtines antecedere.
Inter loquendum ne manum moueas. inſani enim indicium eſt.
Optimus rex eſt, qui non duntaxat operam dat vt metuatur.
Optima ea reſpublica eſt, quæ maxime leges, minime autem oratores audit.
Ciuitati regio principatu gubernatæ ſimilis eſſe domus maxime debet.
Frugales ac æquales nuptias facito.
Domi tuæ bene præeſto.

PITTACI HYRRHADII filij, Mitylenæi.

Difficile eſt bonum eſſe. Fidum nihil eſt.
Difficile bene noſcere. Ne quid nimis.
Cum Phonaicus diceret, Quærendus eſt vir bonus ac frugi, Etiamſi valde quęſieris, inquit, non inuenies.
Ante omnia venerare numen.
Pietatem exerce. Parentes reuerere.
Obſequi parentibus ne dubita.

Ne contendas cum parentibus, etiamſi quæ iuſta ſunt dicas.

Filium admonens ac patrem arbitrio litem componere, filio aiebat, Si iniquiora quàm pater dicturus es, damnaberis: ſin æquiora, vel ob id damnari dignus es.

Prudentum virorum eſt, priuſquam triſtia accidant, prouidere ne eueniant: fortium autem, cum euenerint, iis bene vti.

Roganti quid eſſet obſcurum, Futurum, inquit.

Quod factur⁹ es ne prædixeris. fruſtratus enim rideberis.

Cum aliquando exigua quædam non eſſet conſecutus, Dimidium, inquit, toto plus eſt.

Audiendi cupidus eſto.

Doce ac diſce quod melius eſt.

Veritatem, fidem, peritiam, dexteritatem, amicitiam, diligentiam tibi comparato.

Rogatus aliquãdo, quid optimum eſſet, Id quod adeſt æqui boni conſulere, inquit.

» Digna res eſt cui fidas, terra: cui diffidas, mare.

Ne quid admittas deſpicabile.

Omnibus ne credas.

Victoriæ citra ſanguinem fieri debent.

Depoſitum acceptum iuſtè reddito.

Spõde, noxa præſto eſt. Loquẽdo ne feſtines.

Rogantibus quídnam eſſet gratum ac memor officij, Tempus, inquit.

De amico ne male loquaris, ſed ne de inimico quidem.

Noxia res, ſegnities: mala, intemperantia: grauis, imperitia. Deſidioſus ne eſto.

Cum Alcæum qui filium necauerat, captiuum tenuiſſet, ac dimitteret, Venia, inquit, ſupplicio melior eſt.

Temperantiam ama. Vxori dominare.

A propinquis paululum læſus, feras.

Cum Crœſus ei pecunias daret, Non accipiam, inquit: nam duplo plus habeo quàm vellem, mortuo ſine liberis fratre.

Infortunium ne exprobra, diuinã vltionem veritus: neque ſi locuples fueris, felicitatem inuidiæ cauſa celato.

Ebrius ſi peccauerit, duplici pœna afficiatur, vt alij temulentiã caueãt, cum vinũ abũdauerit.

Inter amicos iudex ne eſto.

Magiſtratus virum oſtendit.

Neceſsitati ne dij quidem reluctantur.

Rogatus à Crœſo, quod imperium maximum eſſet, Ligni, inquit, variegati, legẽ ſignificans.

Ciuitas in ſtatu eſt optimo, vbi malis imperare non licet.

Clarus futurus prĩceps videtur, ſi ipſe ſubditos ita cõparauerit, vt non ipſum, ſed ipſi timeãt.

Quàm optima domus eſt, quę ſuperfluorum nihil requirit, & nullo neceſſariorum eget.

THALETIS EXAMII Filij, Mileſij.

Deo nihil antiquius: quippe qui ſit ingenitus.

Rogatus, quid eſſet numen, Quod neque initium, inquit, neque finem habet.

Rogatus, lateretne deos homo faciẽs iniuriam, Sed ne cogitans quidem, inquit.

Rogatus, quid eſſet difficile, Seipſum, inquit, noſſe: quid autem facile, Ab alio, inquit, commoneri.

Arduum eſt, futurum cognoſcere.

Rogatus quantum à vero mẽdacium diſtaret, Quantum, inquit, ab auribus oculi.

Quam gratiam in parentes contuleris, eam ipſe ſenex à liberis expecta.

Rogatus quis eſſet beatus, Qui corpore, inquit, valet, & animo bene inſtitutus eſt.

Tẽpore nihil ſapiẽtius: adinuenit enim omnia.

Neceſsitate nihil potentius: quippe quæ omnia vincat.

Loco nihil maius: nam omnia complectitur.

Mente nihil celerius: diſcurrit enim per vniuerſa.

Mundo nihil pulchrius: dei enim opus eſt.

Eruditionem ama, œconomiam, artem, pietatem. Morum probitatem tibi compara.

Vitæ curam gere. Nemini promittito.

Rogatus quomodo optime ac iuſtiſsime viuere poſsimus, Si, inquit, quæ in alijs reprehendimus, ipſi non faciamus.

Amicos proba. Amicorum præſentium & abſentium memento.

Rogatus quo pacto quis facilime infortunium

ferat, Si hoſtes deterius affectos conſpiciat, inquit.

Infortunato ne quid exprobres: contra hæc enim diuina vltio ſedet.

Gratias,inquit, ago trium harum rerum cauſa fortunæ:primum,quòd homo,nō belua: deinde,quòd vir,nō fœmina: tertiò,quòd Græcus,non Barbarus natus ſum.

Propinquum dilige. A vitio abſtineto.

Quibus de rebus propinquo indignaris, ea ne facito.

Opportunitatem noſce. Tui ſimilis eſto.

Ne faciem exornes, ſed inſtitutis eſto pulcher.

Obſequium quærito. Pacem diligito.

Cum ciuibus ne audacius agas.

Vtere neceſſarijs.

Rogatus quid eſſet maxime cōmune, Spes,inquit.etenim quibus aliud nihil,ipſa ſupereſt.

Beatum principē puta,ſi ſenex naturalem mortem obeat.

Rogatus quid difficile eſſet intuitus, Senem, inquit,tyrannum.

Superiorē honore proſequitor. Gloriā ſectare.

Optime ea ciuitas habet, quæ ciues valde neque diuites,neque pauperes habet.

Optima familia videtur, in qua hero plurimū ocium agitare licet.

Cum mater vt duceret vxorem cogeret, Per Iouem,ait,nondum tempus eſt.deinde,cum pluſquā adultus iamiam eſſet,& illa inſtaret,

Ne adhuc quidem, inquit, tempus eſt.

Rogatus, cur liberis procreandis operã non daret, Quia, inquit, liberorũ amore non teneor.

Suſurronem virum eiice domo.

BIANTIS TAVTAMI filij, Prienenſis.

Semper in ore habeto, Deum eſſe.

Quicquid boni agas, deos acceptum feras.

Intellige, ac tum ad opus aggredere.

Audi multa, loquere pauca.

Aliquando cum impijs nauigans, naue fluctibus concuſſa, illíſque deo inuocantibus, Silete, inquit, ne vos hîc nauigare ſentiant.

Rogatus ab impio homine, quídnam eſſet pietas, tacuit. ei autem taciturnitatis cauſam roganti, Taceo, inquit, quia de rebus nihil ad te pertinentibus ſciſcitaris.

Filio ad AEgyptios abeũti, rogantiq; quid agat quod ei gratum futurũ ſit, Si tibi, inquit, viaticum ad ſenectutem comparaueris, virtutem nimirum ſignificans.

Viaticum tibi à iuuentute in ſenium proficiſcenti aſſume ſapientiam. ea enim nulla poſſeſsio firmior ac certior eſt. Prudentiam ama.

In iuuentute cõpara tibi rerum agẽdarum proſperum ſucceſſum: in ſenectute autem, ſapientiam.

Qui nauigat neq; in mortuis eſt, neq; in viuis.

Contemplare velut in ſpeculo tuas ipſius actio-

nes,vt honeſtas exornes,turpes abſcondas.

Adiunges facto memoriam,occaſioni cautionē, moribus ingenuitatem, labori continentiam, formidini pietatem,diuitijs amicitiam, verbis ſuadelam, ſilentio decus, ſententiæ æquitatē, audaciæ fortitudinem, actioni auctoritatem, gloriæ principatum.

Rogatus,quid rerum in vita abſque metu eſſet, Recta,inquit,conſcientia.

Morum probitatem exerce.

Maxima pars hominum mala.

Ama tanquam oſurus.

Ne facilioribus, neque malignis moribus eſto.

Boni facile decipiuntur.

A perſuaſo cape,nonviolato.

Lentè res gerendas aggredere,aggreſſus cōſtanter exequere.

Iucundius eſt ius inimicis, quàm amicis dicere. nam ex amicis omnino alterū inimicum futurum eſſe,ex inimicis alterum amicum.

Indignum virum ne laudato.

Morbus animi eſt, cum quis quæ fieri non poſſunt expetit,& cum alienorum malorum eſt immemor.

Robuſtum naſci,naturę opus: poſſe quæ patriæ ſint vtilia dicere, animi proprium eſt & prudentiæ:at pecuniarum copia multitudini imperitæ etiam fortuito contingit.

Ne cito loquaris.inſaniam enim oſtendit.

Rogatus,quid hominib⁹ dulce eſſet,Spes,īquit.

Rogatus, quid agendo homo lætetur, Lucrando, inquit.

Rogatus quid eſſet difficile, Mutationem, inquit, in deterius generoſe tuliſſe.

Infortunatus eſt qui non fert infortunium.

Pauper ſi ſis, diuites ne increpa, niſi magni emolumenti cauſa. Inſipientiam ne admittas.

Ita vitam metire, quaſi & lōgum & breue tempus victurus.

Ad mortem damnaturus aliquem, flebat: roganti autem cuidam, Quid cauſæ eſt, ꝙ condemnans fles? ait, Quoniam naturę affectum reddi neceſſe eſt, legi vero ſententiam congruam.

Clariſsimus futurus rex videtur, ſi primus patriæ legibus vtatur.

Optima familia videtur, in qua talis herus propter ſe, qualis foris propter legem eſt.

PERIANDRI CYPSELI filij, Corinthij.

Nihil non meditare. Spem foueto.

Pietatem ſectare. Mortalia cogita.

Arcanum cela. Reſponde tempeſtiue.

Verba tacenda ne proferas.

Sapientum vtere conſuetudine. Veritati adhæreto.

Audi quæ ad rem pertinēt. Liberos inſtitue.

Te dignum parentibus exhibeto.

Seniorē reuerere. Cū erraueris muta cōſiliū.

Rogatus, quid eſſet in minimo maximum, In hūmano corpore mens bona, inquit.
Voluptates mortales, virtutes immortales ſunt.
Rogatus, quid eſſet libertas, Bona, inquit, conſcientia.
Age quæ iuſta ſunt. Quod iuſtū eſt imitare.
Ea facito, quorum te non pœniteat.
Cōtumeliā oderis. Ne prior iniuriā intuleris.
Mortem oppete pro patria. Tēpori ne fidas.
Largire cum vtilitate. Ne loquaris ad gratiā.
Amicis vtere. Amicos exhilara.
Amicis in læta & triſti fortuna idem eſto.
Conuitiare tanquam breui futurus amicus.
Benemeritos honora. Beneficium repende.
A maledicentia abſtineto.
Ne angaris quacunque de re.
Ne quid pecuniarum cauſa facias. nam lucrifacienda lucrari decet.
Turpe lucrum, res peſsima, naturæ criminatio, grauis theſaurus.
Mortuum ne irriſeris. Calumniam oderis.
Viuens da operam vt lauderis: mortuus vero beatus exiſtimeris.
Parcentem mori ſatius eſt q̄ viuētem indigere.
Dolorem caueto. Teipſum ne negligas.
Litem oderis. Bonos in precio habeto.
Lauda quæ honeſta ſunt. Ne efferaris gloria.
Sperato tanquam mortalis: parcito tanquam immortalis.
Omnibus placeto. Ad omnes conuertaris.

Concordiam ſectare. Affabilis eſto.
Bona res, quies: periculoſa, temeritas.
Supplicum miſerearis. Principes time.
Quicquid pollicitus fueris, obſerua.
Quem de induſtria improbum proclamaueris, rranſgrediaris.
Oculis moderare. Probrum fugito.
In proſpera fortuna moderatus, in aduerſa autem prudens eſto.
Infortunium celato, ne inimicos exhilares.
Legibus antiquis vtitor, obſonijs autem recentibus.
Non modo peccantes caſtiga, ſed & peccaturos prohibe. Conſule inculpate.
Cede magnis. Magiſtratibus cede.
Populi principatus tyrannide præſtantior.
Ea ciuitas optime gubernatur, in qua cum reliqua æqualia exiſtimētur, nihil virtute melius, nihil vitio peius definitur.
Qui volunt tutò regnare, beneuolentia, non armis, ſe tueri debent.
Rogatus, quare imperium nō deponeret, Quia, inquit, ei qui neceſſario imperat, etiam voluntaria abdicatio periculoſa eſt.
E bene natis liberos procrea.

ANACHARSIDIS GNVRI filij, Scythæ.

Præſtat vnicum amicum qui precio dignus ſit, quàm multos nihili faciendos habere.

Cum Solonis domũ veniſſet, iuſsit è ſeruis cuidam vt indicaret Anacharſin pro foribus adeſſe, velléque eum videre, ac eius hoſpitio, ſi quo modo fieri poſſet, frui. Et famulus cum id ei renũciaſſet, iuſſu Solonis hero dixit, Hoſpites in ſuis ipſorum cuiuſque patriis fieri. Hinc Anacharſis ingreſſus, Nunc, inquit, in patria ſum ipſe, itaque mihi hoſpites ſunt faciendi. Ille autem reſponſi promptitudine attonitus, eum admiratus eſt, & inter pręcipuos amicos adſciuit.

Rogatus quid in hominibus eſſet bonum ac malum, Lingua, inquit.

Linguam, ventrem, venerem tempera.

Ab adoleſcente inter pocula vituperatus, Adoleſcens, inquit, ſi iuuenis cum ſis, vinum non fers, ſenex cum fueris, aquam feres.

Primum temperati vini domeſtici poculum ſanitatis eſt bibenti, alterum voluptatis, tertium contumeliæ, poſtremum inſaniæ.

Vitis vuas tres fert: primam voluptatis, alteram temulentiæ, tertiam doloris.

Rogatus, eſſéntne apud Scythas tibiæ, Sed ne vineæ quidem, inquit.

Rogatus quomodo quis temulentiam declinaret, Si, inquit, quæ ebrij faciunt cõtempletur.

Rogatus quomodo quis vini amans nõ euadat, Si, inquit, aute oculos quæ dedecora ebrij faciunt, habeat.

Se mirari ait, qua ratione moti Græci initio qui-

dem paruis poculis, ſaturati autem magnis bibant.

Rogatus pluréſne viui eſſent quàm mortui, reſpondit, Atqui nauigantes vbi ponas?

Cum intellexiſſet quatuor digitis nauē craſſam eſſe, tantum à morte nauigantes abeſſe dixit.

Cum Atticus quidam ei exprobraret, quòd Scythá eſſet, Nimirum mihi, inquit, patria, tu autem patriæ dedecori es.

Cum ei vitio verteretur quod Scytha eſſet, Genere, inquit, ſed non moribus.

Quî fit, inquit, vt qui mentiri vetant, in tabernis aperte mentiantur?

» Rogatus, quænam eſſent nauigiorum tutiſsima, Ea, inquit quæ ad portum adpulerunt.

Reuerſus in Scythiam, ac leges patrias immutandas decernens, Græcanicis moribus multum imbutus, inter venandum ſagitta ictus à fratre, moriens, A Græcia, inquit, per literas ſum equidem ſeruatus, per inuidiam vero in mea patria perij.

Oleum inſaniæ pharmacū eſt: ſiquidem eo vncti athletæ alij in alios inſaniunt.

Se nihil apud Græcos mirabiliꝰ vidiſſe ait, quàm quòd fumum quidē in montibus dimitterent: ligna autem in vrbem adueherent.

Mirari ſe dicebat, quo pacto Græci contra eos qui alios lædunt leges ferentes, athletas honorarent, qui alij alios cæderent.

Forum deſignatus locus eſt, in quo alij alijs im-

ponant, & ſibi potiorem ſupra alios partem vendicent.

Beatus eſt princeps, ſi ſolus prudens non ſit.

Mirari ſe dixit, qui fiat vt apud Græcos artifices decertent, iudicent autē qui non ſint artifices.

Leges telis araneorum ſimiles ſunt. in illas enim ſi quid leue & infirmum inciderit, concludi: ſin maiuſculum, vinculo perrupto tranſire.

MYSONIS STRYMONIS filij, Chenei.

Non ex verbis res, ſed ex rebus verba inquire. non enim propter verba res, ſed propter res verba conſtituuntur.

Cum quis eum comperiſſet æſtate ſtiuam aratro aptantem, Non eſt, inquit, nunc aratro vacandi tempus, Myſon. At vero, ait, parandi tempus eſt.

PHERECYDIS BADYS filij, Syrij.

Neque aurum in precio habe, neque argentum.

SOSIADIS SEPTEM SApientum præcepta.

Sequere deum. Legi pareto.
Deum venerare. Parentes reuerere.
Vinci te patere pro re iuſta.
Statue cum didiceris.

Cum audieris conſidera. Teipſum noſce.
Vxorem ducturus opportunitatem conſidera.
Cogita mortalia.
Larem honore proſequere. Impera tibi ipſi.
Amicis ſuccurre. Iracundiam tempera.
Prudentiam meditare. Prouidētiam honora.
Iureiurando ne vtaris. Amicitiam dilige.
Eruditionem amplexare. Gloriam ſectare.
Sapientiam æmulare.
Quod bonum eſt bene dicito.
Vitupera neminem. Lauda virtutem.
Age quæ iuſta ſunt. Amicis bene velis.
Hoſtes vlciſcere. Nobilitatem exerce.
A vitio abſtineto. Communicabilis fias.
Quę tua ipſi9 ſunt ſerua. Ab alienis abſtineto.
Bene ominare. Audias omnia.
Amico gratificare. Tempori parce.
Proſpice quod eſt futurū. Contumeliā oderis.
Domeſticos reuerere. Liberos erudi.
Si habes, gratificare. Fraudem metue.
Bene de omnib9 dicas. Sapiētiæ ſtudioſus fias.
Sanctè iudicato. Vbi noueris age.
A cæde abſtineto. Opta que fieri poſsint.
Sapientibus vtere. Mores probato.
Acceptū redde. Neminem habeas ſuſpectū.
Arte vtitor. Quod daturus es dato.
Beneficia honora. Inuideas nemini.
Cuſtodiam adhibe. Spem laudato.
Calumniam oderis. Iuſte rem parato.
Bonos honora. Dedecus verere.

Gratiam abſolue. Litem oderis.
Opprobrium inimicum tibi ſit.
Iudica quæ iuſta ſunt.
Incorrupte proba. Cauſare prę ſentia.
Dic cum noueris. Vim ne ſectare.
Colloquitor manſuete.
Finem impone ſine formidine.
In liberos audentior ne eſto. Linguæ impera.
Tibi bene facito. Affabilem te pręſta.
Reſponde in tempore. Labora iuſte.
Age vt te non pœniteat. Peccati te pœniteat.
Oculos contine. Conſule vtilia.
Abſolue breuiter. Amicitiam tuere.
Arcanum ne efferas. Præſtantius time.
Quod confert venare. Occaſionem ſume.
Inimicitias diſſolue. Bene dicẽdo te exerceas.
Odium fugito. Malitiam oderis.
Diſcendo ne fatigeris. Periclitare prudenter.
Dilige quos alis. Seniorem reuerere.
Iuniorem doce. Diuitijs diffidas.
Teipſum reuerere. Maiores corona.
Mortem obi pro patria. Vitæ ne obſiſtas.
Mortuum ne irrideas. Indoleſce infortunato.
Largire citra noxã. Ne angaris de quacũq; re.
Ex generoſis gigne. Nemini promittito.
Interemptos ne iniuria afficias.
Beneficia accipe vt mortalis.
Fortunę ne credas. Modeſtus eſto.
Pubeſcens, ſis continens. Medius, iuſtus.
Senior, benedicus. Mortẽ ſine mœrore obeas.

PARISIIS,

M. D. LIII.

Excudebat Guil. Morelius.

Vm1
53197